

*Hoc ius porrectum, et illi authenticæ qui iam res dictas, juri dicenti, prælatum conditionem ecclesiæ sue meliorari posse facere, deteriorem verò non posse. Et ne possit obici, quod conditio nostra, et dicti Monasterii nostri, necnon dicti castri nostri de Chaysseu, et locorum prædictorum sit ex his in aliquo peiorata, cum in veritate exinde satis melior sit effecta; omnibus statutis, et regulis monasticis factis et faciendis, indulgentiis, gratiis, et privilegiis impetratis et impletandis, et ultrà concessis et concedendis universis, et omni actioni et exceptioni, læsioni, deceptioni, gravamini, circumventioni, et juri canonico et civili, scripto, et non scripto, et consuetudinario, promulgato et promulga [ndo] (1) quæ vel quod nobis et successoribus nostris ad veniendum contra dictam libertatem et franchisesiam, vel aliquod de prædictis posset competere modo aliquo, vel prodesse, et dictis hominibus nostris in aliquo obesse, et juri dicenti generalem renunciationem non valere. In quorum omnium et ne super his possent in posterum aliqua dubietas suboriri præsentibus his Nos dicti Electus et Conventus, sigilla nostra duximus apponenda Datum anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo secundo, mense Maii Nos dictus officialis quod vidimus testamur, et in huiusmodi nostræ visionis testimoniolum facta prius per notarios infrâ scriptos diligenti collatione de verbo ad verbum ad originale, sigillum nostrum præsentibus literis duximus apponendum. Datum quoad visionem nostram et dictorum notariorum collationem Lugduni in curia nostra; facta est collatio per me Symonem de Morolliis (sic) unâ cum Mathæo Bola, clero et jurato. Ita est per de Morolliis. Et per me dictum Mathæum Bolla (sic) clericum auctoritate Imperiali et curiæ domini Officialis Lugdini juratus una cum præfato Symone de Moralies (sic) M. Bolla in cuius visionis testimonium, facta prius diligenti collatione de præsenti vidimus, seu transcripto ad literas originales præscriptas his præsentibus literis contrasigillum Curiæ nostræ in absentia magni ordinatum duximus apponendum. Datum quoad huiusmodi vidimus die prima mensis Maii anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo nono hoc testimonium. Datum ut suprà. Collatio facta est de literis originalibus prædictis ad hoc præsens transcriptum per me Petrum Turelli clericum notarium regium et Curiæ dicti domini Ballivi juratum teste signo meo Turelli.*

---

(1) J'ai rétabli ce mot tronqué par le copiste, d'après la charte de Châtillon, qui renferme la même formule.